

erit sententia, quam de Chiliafmo tum habuit Pfeifferus. *Interim, inquit, recte demonstrat Tua Pl. Rev. Praecl. non esse fingendos Campos Elysios, oder ein Mahumedisches, oder Utopisches Schlarraffen-Land. Sed regnum Christi consistere in vera pietate & concordia, omnibus Tyrannis in malam rem actis - - Quod ad temporalia non quidem putemus, pios Cyclopice, & Pancratice victuros, iis tamen ad vitam hanc, (si opus esset) nihil commoditatis de futurum credimus. Maxima tamen voluptas erit Christi perpetuis sese recreare obtutibus.* Erunt, credo, hae literae non diversae ab iis, ex quibus Pfeifferum per Pfeifferum confutare Chiliafiae voluerunt, nisi desisteret ab edendo Anti-Chiliafmo. Quas tamen minas parvi ille habuit, probe sciens, errare humanum esse, imprimis in ista aetate, quae iudicium, nondum maturum, praestat. Et auisim affirmare, nihil in literis deprehendi, quod non graviter in ipso Anti-Chiliafmo protritum sit. Et hanc emendationem in acceptis referre debebat Calovio, qui Statios, Neuvvaldos, Heldios, alios, ad meliorem mentem iam adduxerat. Ipse autem Pfeifferus, ab errore correctus, pro data occasione, suam a Chiliafistis dissensionem significare non intermisit. vid. saltem Praefat. ad Anti-Chiliafismum.

§. L. THOMAS TANTO, Lubecensis, a Iacobo Taubio seductus, a communione publica secessit, & privatos cum aliis conventus, cum ministerii contemptu haud exiguo, habuit. Opposuit eidem Meno Hannekenius, nomine Ordinis Ecclesiastici, in urbe Lubecensi, tractatum, germanice scriptum, & recentiori aetate cum Praefatione A. Pfeifferi recusum: *Christliche Probe der neuen Schwärmerey, da etliche Manns und Weibes-Personen eigene kleine Zusammenkunfft halten.* Post quem solide etiam, pro more, Iustus Christoph. Schomerus de Collegiat. Disp. I. §. 20. sqq. ea omnia confutavit, quae pro separatismo suo Tantovius adduxit. Cum autem Hamburgi morbo conflictaretur, & morti sese vicinum iam esse intelligeret, M. Michaelem Oppenbuschium ad se invitavit, & suos ingenue errores confessus est. Ipsius Oppenbuschii, de hac Palinodia, narrationem exhibet I. F. Mayerus, in *geistl. Reden* p. 380.

§. LI. Huic mox iungimus IACOBVM TAUBIVM, Iffelbur-